Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



secundum rationem fidei siue ministerium in ministrando siue qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando qui tribuit in simplicitate. Qui praeest in solicitudine. Qui miseretur in hilaritate. Diligentes sine simulatione: odientes malum adhaerentes bono. Charitate fraternitatis in inuicem diligentes: honore in inuicem praeuenientes. Sollicitudine non pigri spiritu feruentes domino seruientes. Spe gaudentes in tribulatione patientes. Orationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos: benedicite et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus: et flere cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes non alta sapientes sed humilibus consentientes. Misit dominus uerbum suum et sanauit eos et eripuit eos de interitibus eorum. Confitemini domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum. Alleluia. Dominus regnauit exultet terra letentur insulae multae. Nuptiae factae sunt in chana galilee: et erat mater iesu ibi. Vocatus est autem et iesus et discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino: dicit mater iesu ad eum. Vinum non habent. Et dicit ei iesus. Quid mihi et tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quodcumque dixerit uobis facite. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem iudaeorum capientes singulae metretas binas uel ternas. Dixit eis iesus. Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis iesus. Haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam uinum factam: et nesciebat unde esset: ministri autem sciebant qui hauserant aquam: uocat sponsum architriclinus. et dicit ei. Omnis homo primum bonum uinum ponit et cum inebriati fuerint: tunc id quod deterius est: tu autem seruasti uinum bonum usque ad hunc. Hoc initium signorum fecit iesus in chana galilee et manifestauit gloriam suam. Et crediderunt in eum